



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**In Vaticinia Isaiae, Prophetæ Clarissimi, Paraphrasis,
Heroico carmine conscripta**

Carpenteius, Joannes

Antverpiæ, 1588

Ad Evndem. Qvum Ei Psalmorum Davidis Et Esaïæ Poeticam paraphrasim
remitteret, eiusdem phaleucij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68688)

QUVM EI PSALMORVM
DAVIDIS ET ESAIÆ POETICAM
paraphrasim remitteret, eiusdem phaleucij.



*V*NC tandem tibi, sed dolens & agrè,
Carpentere, tuas remitto nostra
Reuulsas male de manu Camœnas.
*Q*uam totum cuperem meo fuisses
Passus hospitio excipi per annum:
Aut illis (neque fas erat) carere
Toto si tibi non licebat annos
At saltē licuisset auctiore
Harum tempore parsimoniarum.
*I*lla me poterant ad aequitatis,
Ad vitæ studium seuerioris,
Ad decus pietatis excitare,
Et quacunque viro per hocce tempus
Sunt piè meditanda Christiano,
Meis omnia sensibus, nec ulla
Mentis insinuare delicata
Nausea tamen aut acerbitate.
Tam molles aditus ad imbuendos
Vel succis animos habent amaris.
*Q*uipe quum tetrica, graues, seuera,
Quum te denique sint parente digna.
Hanc cultu tamen, elegantiaque

Et

Et comtu facili seueritatem,
 Tam per omnia suaue temperarunt,
 Vt supercilium nec elegantes
 Tanquam triste nimis, nimisque durum,
 Nec damnare superfluam Seueri
 Possint mundiciem, Atticósque cultus.
 Tales adibus hospites profectò
 Ægrè nunc patior meis abire.
 Sed dudum reuocas, pudètque plures
 Causas neètere me penes morandi.
 O saltem mihi si foret supellex
 Vnde munus eis, & hospitale
 Depromam xenium, quod hinc euntes
 Qualecumque mei ferant in ipsas
 Amoris specimen. Sed his quid ultra,
 Quid mea rogo liberalitate
 Ornatus queat aut decòris addi?
 Nil sanè queat. Ergo peruolutas
 Laudatásque, mihi licet quod unum,
 Nunc tandem tibi sed dolens, & agrè
 Carpentere tuas remitto, nostra
 Reuulsas malè de manu Camœnas.

C 3

I N